



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Vt ægrotus ad D. N. Iesum Christum, propter nos incarnatum, mortuum & resuscitatum, atque supra cælos exaltatum, faciem conuertat: dulcissima  
D. August. Sententia. lxxx.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

Rom. 8.  
2. Cor. 1.

stum: qui ad dexteram Dei patris sedens, noster est Patronus & aduocatus, Mediator & Reconciliator apud misericordiarum patrem. Tametsi propter iniustitias nostras venia indigni simus, ille tamen iustus est, qui nobis veniā suo Sanguine meruit. Et hanc nobis impartit sua immensa misericordia, de immundis mundos faciens: Iob. xiiij. Quis potest facere mundū de immunda conceptū semine? Nonne tu qui solus es? Et ipse est Propitiatio pro peccatis nostris: nam sua perlitratione Deum placatū et propitium reddidit. Qui nostrorū est prauorum facinorū expiator effectus: & operit multitudinem peccatorū, pro quibus satisfecit. Nec pro vnius aut alterius: sed totius mūdi peccatis Christus propitiatio est. Is enim est, in quo Patri complacitum est, vniuersam inhabitare Diuinitatis plenitudinem: & per eum reconciliare cūcta erga se, pacificatis per sanguinem, sui qua in terra sunt, siue qua in calis.

Colofa.

Vt Ægrotus ad D.N. Iesum Christum, propter nos incarnatum, mortuum & resuscitatum atque supra cælos exaltatum, faciem conuertat, dulcissima D. Augustini Admonitio.

CAPVT

LXXX.

Esa. 38.  
August. de  
Visita. infir.  
lib. 2. cap. 1.  
Baruch. 3.

**A** Grotauit Ezechias vsque ad mortem: & conuertit faciem suam cum lachrymis ad parietem. Patris, Christi humanitas est: Diuinitas ipsius videlicet ad nullum deflexa vel despectenda peccatum, sub carne nostra latebat. Nam & in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Ad hunc reuera parietē Ezechias, sub mortis articulo, quem ei Propheta per Spiritum S. predixerat, faciem conuertit, & ita conualuit. Hac valetudinis expectatione Iacob patriarcha, ita tripudiat: *Vidi Dominū facie ad faciem: & salua facta est anima mea.* Huius Incarnationis desiderio flagrabant omnes sancti:

Genes. 32.



illi: quippe quibus erat manifestum non aliter posse  
 saluari genus humanū, nisi per filium Dei incarnatum.  
 Non enim est in aliquo alio salus: nec est nomen aliud <sup>Acto. 4.</sup>  
 sub celo datum hominibus, in quo oporteat hominem sal-  
 uari fieri. Ad hunc igitur parietem nostrum, Media-  
 torem nostrum, conuerte faciem tuam familiarius: quod  
 tuum est, aggrede securius: scit compati tuis infirmi-  
 tatibus, qui factus est tua infirmitatis participando so-  
 cius. Prærogatiuam nostra carnis in celos euexit: quia <sup>Heb. 2.</sup>  
 exaltatus est super celos homo Deus. Ad curiā Dei sui,  
 & Dei tui, præcessit Deus tuus homo tuus, tunica tua,  
 tunica polymita, quā sibi decētissimē coaptauit: indutus  
 illa assiduus interpellat pro nobis. Quē igitur habes In-  
 tercessorem, habes Mediatorem, cōstitue tibi propitium <sup>Rom. 8.</sup>  
 Adiuuorem: et si Deus pro te, quis contra te?

CONSOLATIO EX SPIRITVS  
SANCTI MISSIONE.

Ex Paracleti nomenclatura quanta piis fidelibus  
expectanda gratia.

IN Ioele Propheta dicit Dñs: Effundam de Spiritu <sup>CAPVT</sup>  
 Imo super omnē carnē. ut qui calamitatibus et arum- <sup>LXXXI.</sup>  
 ni premimur, Spiritus S. gratia consolemur: qua quāta  
 sit, Christus D. N. indicat, cū PARACLETVM eum vo- <sup>Ioan. 16.</sup>  
 cat. Paracletus Consolatorē, & Aduocatū, & Patro-  
 nū significat: quia verbū παρακλη, vnde istud nomen <sup>Corn. Ianc.</sup>  
 derivatur, præter alia significat Consolari, aduocare, <sup>in Concord.</sup>  
 adhortari, & orare, maximē pro alio: sicut faciunt ad-  
 vocati et patroni. Et quanquam Christo hoc nomē Ad-  
 vocati à Ioanne Apostolo tribuatur, quod pro nobis ille  
 Aduocatus & Patronus: sicut dicit, Aduocatū <sup>Rom. 8.</sup>  
 habemus apud Patrē: tamē Aduocatus est etiam noster  
 Spiritus sanctus: quia ut inquit Paulus, ipse Spiritus <sup>postulat</sup>